B. N. C.
FIRENZE
1158
10

1158 10

11 58.10



Saturni solum hic deficit,
ſed perficit orbis

DOMINICÆ A PARADISO FLORENTINÆ

Fundatrici Optimæ Monialium
Sanctiſs. Crucis.

ORATIO

Coram Sanctiſſimo D. N. Papa
VRBANO VIII.
Ad implorandam eius opem pro Beatificatione
dictæ Seruæ Dei.
Habita a IVLIO CINCIO Romano Sac.
Conciſt. Aulæ S. P. Q. R. Aduocato.

SERENISS. FERDINANDO.
ſibi ſoli ſecundo, Magnoq. Max. Ducũ
Duci, Æthruriæ Ætheri Soli huius
Soli, Promot. Opt Fautori Piiſſ
Moniales Conu. S. Crucis D. D. D.

Flor. apud
Sermartellios
Superiorum
permissu
MDCXXXI

1158.10

DOMINICAE A PARADISO FLORENTINAE

Sanctiſſimæ Crucis Monialium Fundatrici Optimæ.

ORATIO

Coram Sanctiſs. D.N. Papa Vrbano VIII.

Ad implorandam eius opem prò Beatificatione dictæ Seruæ DEI.

Habita à Iulio Cincio Romano

Sac. Conciſt. Aulæ S. P. Q. R. Aduocato.

BEatiſſime Pater. Vrbem Florentiam multis inſignem titulis, multiſq; illuſtrem nominibus, nemo eſt qui non admiretur, quippe quæ cœli benignitate fœcunda, prę-clariſſimorum ingeniorum parens, viros omni virtutum laude domi, foriſque conſpicuos, continuata temporum ſerie, communi totius orbis bono produxit. Et licet multis rationibus illi Ciuitati impoſitum Florentię nomen eluceat, crediderim tamen, quaſi fęlici preſagio ea fuiſſe denominatione inſignitam, quod veluti cœleſti benedictione irrigata, rutilantes omnis generis flores eſſet editura: Siuè enim quis armatos, ac bellica virtute viros ſpectabiles requirat, ſiue liberalium diſciplinarum laude præfulgentes, innumeri vndique colligentur, qui illius vberrimum ſolum, mira claritate, quaſi florum varietate diſtinguant. Quos recenſere, quia longiſſimum eſſet, & fermè apud omnes ſuauiſſimo odore longè, latè què

diffuſo innotuerunt, vt ad propoſitum ſermonis mei argumentum accedam, prætermittam. Vnam tamen illius Vrbis præſtantiſſimam laudē præterire non poſſum, qua multas alias Chriſtiani Orbis Ciuitates antecellit, quod nimirum ex ea, tanquàm ex refertiſſimo Emporio, regēdo orbi multi inſignes Viri prodierunt, & plurimos ſibi Deus eximia Sāctitate ſplendentes eduxit. Viget enim Principum Virorum memoria, qui ſumma cum vigilantia, Chriſti Eccleſiæ præfuerunt, quos maiores noſtri anteactis ſæculis conſpexerunt, & nos ad hæc vſque tempora deductam feliciſſimè intuemur. Ex quibus Apes pretioſiſſima deligentes in Melliflua Sanctitatis Veſtrę Maieſtate Petri Nauigium fidiſſimè gubernante collocarunt. Sed non exiguum etiàm numerum, tum virorum, tùm Mulierum, quæ Sanctitate vitæ floruerunt, floridiſſima illa Ciuitas omni tempore in lucem protulit. Qui omnes ſumma cū integritate morum, atq; innocentię prærogatiua mortalis peregrinationis itinere confecto ad Cœleſtis patriæ portum fæliciter appulerunt. Quorum cęteris cum Antonino, qui à noſtra licet ętate remotiores primi tamen eam vrbem clariſſimam reddiderunt, omiſſis: duo Sanctitatis lumina fulgentiſſima, Philippum Nerium, & Andream Corſinum ad vniuerſi Orbis conſpectum hoc noſtro ſæculo recenti memoria expoſuit. Nec deſinet alios nobiliſſimos partus, veluti mater fœcunda in lucem proferre: inter quos offert nunc Sanctitati Veſtræ Seruam Dei Dominicam à Paradiſo Auguſtiſſimi Prædicatorum Ordinis alumnam, à qua prima Cœnobij (de Cruce nuncupati) conſtituta fundamenta eadem Ciuitas Florentina veneratur: Vt candidiſſimę illius vitæ moribus, puritate fidei, cæterarumquè ſublimium virtutum excellentia inſpectis, eadem vniuerſali Eccleſię (ſi Sanctitati veſtrę videbitur) veneranda poſſit proponi. Parentibus nata eſt hæc Dei ancilla humilibus quidem, & rudibus, ſed Chriſtianis, ac pijs; Quę enim ſolum Patrem, ac magiſtrum agnoſcere debebat Deum, in cuius abſolutam tutelam, ſtatim ac lucem vidiſſet, erat tranſitura, ſortiri debuit parentes carnales obſcuri, & nullius nominis, vt Dei patrocinio redderetur illuſtrior, & ipſius Dei paterna in eam charitas magis eluceſceret; ac nomen puellę, quod in loco originis ſub terrenis parentibus erat ignobile poſtquā ſolum Deum patrem habere cæpiſſet, nobiliſſimum redderetur. Locum, in quo fuit in lucem edita, ſortita eſt in Florentino Comitatu: Paradiſi ſolum nomine illuſtre; quis enim locus deligi potuiſſet aptior natali illius. Quæ ob candidiſſimos mores, ac vitę integerrimam puritatem, cœleſtium conſortio ſępiſſimè erat fruitura, quam Paradiſus? Nec quidquam obfuit loci, aut parentum humilitas inſignibus illius

virtu-

virtutibus, quæ loco circumſcribi non potuerunt, tam Dei gratia ſine diſcretione perſonarum dona ſua diffundens, mirabilia omnibus in locis operetur, & poſſit ex infimis pauperes eleuare, cum principibus collocandos, vt ſolium gloriæ teneant. Quod ſi tempus inſpicere velimus, quo hæc ſerua Dei orta eſt, ac ſi quid ex cœli motibus licet præſagire, vt apud Maiores noſtros vetus opinio fuit, & inualuit conſuetudo; Memorię proditum eſt eam natam eſſe menſe Septembri, cum Sol per ſignum Virginis graderetur in cœlo, & dies Natalis Virginis Virginũ celebraretur in terris; ex quo quid aliud potuit indicari, quàm puellam iſtam, quæ perpetuò illibatum virginitatis florem erat ſeruatura, Puriſſimum verò Iuſtitię ſoli habitaculum fuiſſe prębituram? Quod re ipſa factum fuiſſe totius vitę decurſus, poſteà oſtendit, ac ex nomine ipſo, quod recenter natę, Diuina (vt fama eſt) inſpiratione, fuit impoſitum, comprobatur. Nam ſeu quia die Dominico orta eſt, ſeu (vt reor) quia in Domini partem electa erat, Immò quia per omnia futura erat cœleſtis Domini, cui tanquàm ſponſa pręparabatur, Dominicę nomen accepit. Verùm, vt ex his, velut indicijs vitę Sanctiſſimę, quam erat ductura, ad ampliora tranſeamus, fertur Dominicam non prius lucem aſpexiſſe, quam oculos, ac manus ad Cœlum ſuſtuliſſe; indicabat ſiquidem ſibi non aliam patriam quærendam eſſe, quam Cœlum, & licet alij terrenis, & collabentibus rebus oculos affigerent, ſibi tamen ad Deum ſemper eſſe adſpiciendum, cum quo viuere, ac mori dulce erat futurum, ac propterea eo iam oculorum aciem dirigebat, quo peruenire anhelabat; Seu voluit illo ſigno oſtendere ſe oculis, ac manibus in Cœlũ ſemper intenſis, nunquam inuictum ab oratione ſpiritum eſſe relaxaturam, ſeu id fecit, vt ſe ipſam parenti Deo tota deuotione committeret, cui ſe vix primum in lucem edita, cõſecrabat; ſeu tandẽ oculos ad omnipotentem Dominum eleuauit, quem ſupplicibus palmulis feruentiſſimè exoraret, vt è laqueis inter quos ambulare debebat, ſtatim atque in Mũdum eſſet ingreſſa, pedes ſuos eriperet, & euelleret. Quod illi fuiſſe à liberaliſſima Dei manu elargitum rei comprobauit euentus; Nam integerrimæ vitæ conſeruauit Innocentiam, Mundi illecebras, Diaboli ad malum incitamenta, & carnis fœditates, immaculato calle tranſiuit, eiuſdem incunabula, perſpicuis ornamentis illuſtrata par adoleſcentia conſequuta eſt, nec validior ętas diſcrepauit, ſed ad vltimam vſque ſenectutem, ac extremum ſpiritum ſe ipſa ſemper maior, virtutibus plena, charitate in Deum, ac proximum inſignis, prudentia, & fortitudine illuſtris, inconcuſſa fide, & ſpe cœleſti ſponſo ſemper coniuncta, ſanctimonię pręclara relinquens documenta, vitam peregit innocentem, & mortẽ

admirabilem : Vt enim generatim per illius virtutes mea diſcurrat oratio, Statim ab ipſo infantię initio clariſſima futuræ ſanctitatis ſigna demonſtrauit ; nàm cum ieiunio creuit Dominica, quam mater ſemel tantum in die lacte reficiebat ; Cum enim ad certamen cum acerrimis hoſtibus proceſſura eſſet in mundum, ieiunij armis ſe muniebat, vt omnē Diaboli proſterneret exercitum, pudicitię candorem ſeruaret illæſum, & ſobrij vigore conſilij victoriam reportaret : Vix è matris vberibus euulſa, durioribus cibis aſſueſcens, intra domeſticos parietes, vt ętate creſcebat, ità virtutibus in dies ornabatur à Deo. Quis enim tenerrimę Infātis animum ad orationem impulit ? Quis à peccatis fugere docuit ? Quis ſolitudinis deſiderium, vt diuinis vacaret, infudit ? Quis pro ſceleribus, quæ nequè admiſerat, nequè in ea ętate poterat patrare, lachrymas fundere cum intimo cordis dolore erudiuit, niſi Deus ? à quo etiàm qui linguas infantium facit eſſe diſertas, cum à parentibus, rerum Catholicæ fidei imperitis, prima illius elementa non poſſet ediſcere, cœleſtibus illuſtrationibus mirabilem in modum fuit imbuta. Vnde non erunt creditu difficilia, quæ de inſigni illius prudentia, puritatis amore, feruenti oratione, ardenti religione in Deum, pietate in proximos, admirabili erga Chriſti Paſſionem affectu, promptiſſima obedientia, cęteriſq; virtutibus, quas Dominica, procedente ętate, ſemper oſtendit, & coluit, referuntur ? Si enim omnia à Parente, & Magiſtro didicerat Chriſto, ſi per ſępè à Puriſſima Virginum Regina (vt fama eſt) docebatur, quis dubitare poſſet quin eſſet nobiliſſimos tantæ doctrinæ fructus editura ? Hęc igitur Dei ſerua diuino lumine illuſtrata ab ipſa infantia cognoſcens regionem hominum eſſe in Cœlis, à qua ſuperbiendo, inobediendo, vetita ſequendo mortales diſceſſerant, ad eam per humilitatē, obedientiā, ac ſenſibilium omnium contemptum tendere conſtituit, cuius etiàm deſiderio, vel ex ipſis inſenſibilibus horti virgultis, herbiſq; quas aquis irrigabat ſuis lachrymis permixtis, magis, magiſq; accendebatur ; Ex illis ſiquidem, tanquàm Apis argumentoſa, quidquid cœleſtis roris Deus infuderat, diligentiſſimè hauriebat, & ſuauiſſimum inde mel eliciens in corde ſuo, veluti in alueario tutiſſimo condebat & conſeruabat ; Dùm enim contemplabatur quam diligenti prouidentia rerum omnium parens, & Creator Deus, ſingulis illis alimenta compararet, omnem fiduciam in eodem Deo ponendam eſſe cognoſcebat : à quo ſi minima quęquè tàm prouidè gubernabantur, maiori curę inferebat ipſa homines illi futuros eſſe, quos ad ſui Imaginem creauerat ; Atquè his ſtimulis interius fortiter ſuauiterq; agitata, totam ſe cœleſtis patris protectioni committebat, omnem ſuam ſolicitudinem reponebat in Deo : Itaquè ex his prin-

*cipijs vberrimi deinde fõtes virtutum emanarant, quibus hæc virgo fuit
decorata. Nàm fidem in primis ad ſalutem neceſsariam puriſſimè ſer-
uatam fuiſſe ab ea, feruentiſſima in Deum charitas, ſui abnegatio, cæle-
ſtis patriæ acquirendæ ſtudium, Religionis Dominicanæ ingreſsus, re-
fugium ad Diuinam opem inter anguſtias, aliaquè plurima ab ipſa prę-
clarè geſta teſtantur: Inter quæ clariſſimum fidei monumentum præ-
tereundum nõ videtur: Nàm quo tempore Monaſterium, quod cæleſti
iuſſu conſtruendum curauerat, diabolicà fraude conflagrabat, ad Deum
toto cordis affectu ſuſpiciens, cuius voluntati iàm ſe ſe conformem eſse
declarauerat certiſſima fide opem à Sãctiſſima Dei matre implorans, eius
monitu ſigno crucis cõtra ignis exundantes flammas per vnam ex mo-
nialibus facto, incendium impetrauit extingui: Ex quibus etiàm elu-
cet Dominicæ firma ſpes in Deo, pro quo licet paruum dici poſſit, quod
reliquit, cum ſub paupere tecto victum proprijs laboribus quærere coge-
retur: Multum tamen reliquit, quæ non ſolum ea, quę habebat, ſed etiã
ſpem alia habendi deſeruit ſed ſe ipſam ac ſuę libera voluntatis arbitriũ
ablegauit, vt Deum ſequeretur. Quam verò ferventi in Deum ac pro-
ximos charitate flagrauerit facilè poteſt intelligi, ſi ad ipſum vitę initiũ
redeamus, quo Deum omnibus animi viribus cępit diligere, ac in dies
ab ipſomet animæ ſuæ ſponſo miris modis edocta, accendebatur, vt verè
dici poſſit ipſam ante omnia, & ſuper omnia amorem erga Deum pręſe-
tuliſse; Quid enim aliud indicabat tàm diligens cura, quam adhibuit,
ne diſpliceret Deo? Quid lacbrymæ quibus animum vel puriſſimum ab
luere cupiebat? Quid oſtendebat ardens ſolitudinis deſiderium? Quid
patientia, qua aduerſam valetudinem hilariter ferebat? Quid denique
aliud humilitàs, qua de ſe ipſa viliſſimè ſentiebat? Quid cæterarũ vir-
tutum in vna Dominica collectio declarabat; niſi inſignem erga Deum
charitatem; à qua velut multi arboris rami ab vna radice prodeunt, ſic
cæterę virtutes generantur; Immò ſi charitàs patiens eſt, iniurias ſumma
æquitate tolerauit, & calumnias; ſi charitàs benigna eſt, multis opem
tulit, multos ſubleuauit Dominica: ſi denique, vt multa omittantur,
charitàs omnia ſuffert, & nunquàm excidit, fortiter, ac ſtrenuè vſque
in finem perſeuerauit. Poſſent hic addi pietàs erga Dei matrem, quam
vnicè diligebat: Affectio erga Auguſtiſſimum Chriſti Corpus, & ſan-
guinem, pro quo ſuſcipiendo, admirabili ſedulitate animum præpara-
bat: Inſignis ardor, quo erga ſacra Chriſti vulnera afficiebatur, ex
quorum memoria copioſſimas diſsoluebatur in lacbrymas, & alia quam
plura, quæ ne nimium excreſcat Oratio, prætermittam. Et quoniam
dilectio Dei nunquàm à proximi dilectione ſe iungitur; mirum eſt*

quanta

quanta animi ſolicitudine, proximorum neceſſitatibus ſtuduerit occurrere; Si enim internis mentis affectibus ad malum vrgebantur, cohortationibus, ſanctiſq; admonitionibus excitabat ad Deum: Si verò externis præmebantur anguſtijs, præſenti elemoſynarum largitione ſublenabat; quod quia cœleſti numini erat acceptiſſimum, fertur, & ipſã animę ſuæ Sponſum Chriſtum, eiuſquè puriſſimam genitricem ſub pauperum Specie a Dominica exceptos, eamquè ab ipſis, quos paſcere ſibi ſibi ipſi ſubt ractis ſatagebat, mirum in modum cœleſtibus gratijs fuiſſe recreatam. His inſignem Prudentiam adiunxit, per quam cognoſcens quid agendum eſſet, aut quid reſpuendum, ad ſuperna ſemper dirigebatur, ac veluti Regiam viam ingreſſa ad honeſtum ſumma alacritate totis viribus tendebat; cuius virtutis eum ſortita eſt Magiſtrum, quē ſibi patrem, & ſponſum agnoſcebat Chriſtum, & illius matrem Virginē prudentiſſimam, a quibus mirabili ratione erudita, & ſibi ipſi proſpiciebat, inquirēs qua ratione poſſet magis, magiſq; placere Deo, & alios gubernabat. Quo in genere non infimū elucet argumentum ex vigili ſedulitate, qua moniales ſuę Curę etiàm Apoſtolica auctoritate commiſſas, ſaluberrimis pręcep tis ſtudebat imbuere; Nec minori diligentia Iuſtitiam coluit, dum ſumma religione Deum venerabatur, dùm pietate inſigni parentibus obtemperabat, dum mira obſeruantia poſitos in dignitate reuerebatur, dum prompta miſeratione aliorum indigentias ſubleuare conabatur, dùm memori gratitudine debita erga Deum officia, pro ſingularibus acceptis beneficijs rependere, ac pro viribus eius in ſe amori reſpondere vbique curabat. Omitto ſingulas Iuſtitiæ partes enumerare, quibus tamen ipſa animum ſuum exornare non omittebat. De feruenti ſolum ipſius oratione, qua cultum Deo Optimo Maximo debitum exhibebat pauca ſubnectam; Nàm ab ipſo Natali Die ſemper Orationis pabulo, pluſquam corporali cibo reficiebatur, cum etiàm, vt paulò antę dicebam inter humiliora exercitia ad Deum ſe erigendi materiam hauriret: Inde ſingulari affectu ſecum ipſa cæpit meditari admirabilē Dei charitatem erga homines, qua per motus carnem ſumere, in laboribus vitam deducere, ac demùm acerbiſſimam mortem pro illis ſubire non renuit. Hinc quotidie magis accendebatur ſpiritu, & ad cœleſtia ferebatur, & rapiebatur; Sciens enim nos in medijs tribulationibus poſitos, nihil reſidui habere, vt ex illis euadamus incolumes, niſi oculos, precesquè ad Deum dirigere, vt ſuis ac aliorum neceſſitatibus ferret auxiliū, ad Orationis certiſſimum remedium confugiebat. Multa hic poſſent adiungi de illius promptiſſima obedientia, qua ſuperioribus ſuis parere nunquàm recuſauit, aut diſtulit, & cum ſe ſuumquè arbitrium Deo liben-

libentiſſimè obtuliſſet, quidquid ab ipſo iuberetur, quiquid illi placere cognouiſſet vel etiam præueniendo, implere ſatagebat. Neſcit enim tarda molimina Sancti Spiritus gratia. Multa præterea poſſent de inſigni Dominicæ affectu erga paupertatem Iuſtitiæ filiam connecti quā adeo feruenter adamauit, vt ne oculos quidem ad terrena reſpicienda, ſe habere profiteretur, ſed trahit me ad præclariora inuicti illius animi Fortitudo, & eiuſdem in omnibus delectabilibus moderatio, ac Temperantia; Nàm vt de Fortitudine aliquid dicam, ſi animum vertamus ad præcipuum illius virtutis actum quo quis patienter ac perſeueranter ſuſtinet aduerſa, nec inſurgentium hoſtium potentia frangitur; nobiliſſima vndique huius Virginis facta occurrent, quibus, & acerbiſſimos dolores cum corporis mala valetudine, æquo ſemper animo, & hilari vultu ſuſtinuit & internos animi motus compreſſit, ac furentis in ſe humani generis hoſtis inſultibus reſtitit, eiuſquè ignita tela confregit Nimirū ſcuto ſuo protegebat eam Deus, à quo armabatur, roborabatur, & confirmabatur. Alia de illius animi Conſtantia prætereo libens, vt ad eiuſdem Temperantiam me conuertam. Vocat me puriſſimus pudicitiæ, ac integerrimæ Caſtitatis ardor, quo illibatum Virginitatis florem, vel vti candidiſſimam niuem in finem vitæ ſeruauit intactū, pro cuius tuitione ſolitudinem amans, & fortiſſime dimicans, cœleſtem vitam agebat in terris, & quoniam ſciebat illius Angelicæ virtutis hoſtes armari ciborum ſatietate, abſtinentiam ab incunabulis coluit, qua rebelles carnis concupiſcentias diligentiſſimè compreſſit, fugauit, extinxit. Mirum eſt quanta vigilantia incūbebat, vt abeſſet longè corpore, & Spiritu ab omni labe, qua fædari poſſet vt omnem à ſe occaſionem remouerit. Vnū inter cætera referam cùm ipſa candorem animi pulcherrima in ſpecie corporis præſeferret ſciretquè nihil ad labe factandam pudicitiam aptius eſſe, quam ſpecioſā formam colorum viuacitate, & membrorum proportione compactam, Narratur deprecata Deum eſſe, vt ſpeciem ſuam quā fœtidi ignis pabulum eſſe verebatur, deformaret & nunquam ab ardūti, atquè enixa efflagitatione deſtitiſſe, donec varijs infirmitatibus agitata, pallore, ac macie imbuta, eſcam turpiſſimo Caſtitatis hoſti ſubtraxit. Verum quia, nequè Caſtitàs ipſa, nec alia virtutum aliquid eſt niſi in fundamento humilitatis firmetur. Hanc etiam virtutum Reginam & cuſtodem, omni diligentia, & ſtudio adamauit, & ipſius Chriſti exemplo, qui eam è cathedra Præſepis, vſquè ad obitum in Cruce edocuit humillimè de ſe didicit ſentire, laudes effugere, dignitates, & præhæminentias vitare. His itaquè alijſquè concomitantibus virtutibus animum ſuum exornare totis viribus decertabat, vt maiori ſemper chari-

tate & arctiori vinculo amoris iungeretur Deo;ad quem,vt ſemper inter mundi varietates,ſeptuaginta nouem annorum ſpatio,quibus vixit ſuſpirabat; Tandem Eccleſiæ Sacramentis ſummè expetitis,ac profundiſſima veneratione ſuſceptis, plurimis donis illuſtratam, & inſignium dotium cumulo decoratam perueniſſe, communi omnium voce conſtãtiſſimè fuit exiſtimatum. Quid enim aliud ex innocentiſſima vitæ decurſu, ex diligenti ſolicitudine, qua ad cœleſtem animæ ſuæ ſponſum pertingere cupiebat, colligi poteſt, niſi quod ab eo fuerit recepta in Cœlum, quem ipſa in terris poſita tota mentis deuotione dilexerat; Et eius quidem puriſſima anima vinculis mortalitatis exuta, ad æternę fælicitatis prę mium conuolauit. Ad corporis autem venerationem ingens populi multitudo magno Religionis obſequio,odore virtutum ſeruæ Dei Dominicę excitata confluxit; Demùm inter manus,& lacbrymas filiarũ,quas Deo pepererat in Cœnobio, cuius curæ præſidebat,& cuius ipſa prima iecerat fundamenta, honorificè traditum fuit ſepulturę, multoſquè poſt annos, integrum, intactumquè repertum, magnam omnium excitauit admirationem. Exinde verò magis,magiſquè in dies creſcente opinione Sanctitatis illius, & deuota veneratione, nõ ſolum apud infimę plebis homines,ſed etiàm apud ſummæ auctoritatis viros, multiſq; mirabilibus ſignis confirmata permoti Ferdinandus II. Magnus Dux Hætruriæ V. & Archiduciſſa Magdalena Auſtriaca, necnon Magna Duciſſa Chriſtiana Lotharingia,vt etiàm communis Senatus,totiuſquè Populi Florentini, atquè in primis Abbatiſſæ, & Monialium Sanctiſſimæ Crucis, erga piam parentem deſiderio, votiſquè, quoad fieri poſſet reſponderent, ſæpiſſimè apud S. V. iteratis litteris, & precibus inſteterunt, vt hanc ſeruam Dei inter Sanctas Virgines adnumerare dignaretur. Nunc pariter eundem affectum omnes ſimul humiliter repreſentantes, inſtantiſſimè ab eadem S. V. expoſcunt, vt ad totius eccleſiæ honorem Iuris ordine in ſimilibus ſeruari ſolito rem omnem examinandã dignetur demandare, vt accedente Apoſtolicæ Sedis approbatione fideles populi publicis ſupplicationibus,ſeruam Dei Dominicam,vt Beatam venerentur, & colant, ad cuius exemplum reſpicientes in dies virtutibus augeantur, quod vt facilius aſſequi poſſit ſuppliciter etiàm petunt interim permitti publicis typis res geſtas illius conſignari, ne vitæ integerrimę documenta diutius in abdito retineãtur ſed publicę commoditati, ac vtilitati ad maiorem Dei, & Dominicæ gloriam impreſſa reuelentur. Dixi.

Florentiæ, ex Typographia Semartelliana. M.DC.XXXI.
Superiorum Permiſſu.

Z
1158. 10

1158.10

1158.10